

CANTILENAE DE CICADIS

AT SITIS

Calcamus viam involuti sole aestivo
Sitis crescit
ut cantus cicadarum
in aureo sipario
Tacent olivae cum cypressis
Vicinia tantum sitim dat nunc fessis
Omnia sunt in colore igneo
Et asinus sub rupe absconditus
in soliloquio sitiens amaro
in umbra albescit
At sitis nostra crescit

crescit.

CICADAE GARRULAE

Cicadae
cicadae
loquaces et garrulae
strident per aerem solarem
Silentes cupressi et olivae
manus ad mare porrigentes
auscultant cantus innumerabiles
At cicadae gloriosam cantant requiem
pro herbis mortuis
Aspectant illae futurum renovamen
In cantu cum undis
timide fractis ad rupes
cicadae cantantes
clamantes
dicunt:
Ubi est placamen?
Cicadae
cicadae loquaces et garrulae!

CACHINNI

In ramis parvae pini
oscillum solis matutini
Audiuntur et molles cachinni
nam tremule incipit cicada
syllabas suo carmini.

SIPARIUM

Aurei risus solis
occidunt in sipario purpureo
Palpebrae solis fessae
In cicadae cantu
languescentes notae solares
stellas praenuntiant radiantes.

SYMPHONIA CREPUSCULI

In pinu cantus cicadae
timide
timide languescit
Quis scit
cur rythmus cantici cicadae
tam languide moriatur
Forsan
ut cor immensitate deleatur
Quid vis
o crepusculum
cum symphoniae meae et cicadae
consummatum est opusculum!